

Index Quæstionum Canon. Legal. ac Variar.

- 136 An Regulares possint admittre ad celebrationem in eorum Ecclesiis Sacerdotes externos sine licentia Episcopi. Decif. 60. num. 13.
- 137 Processio cum SS. Eucharistia in die Corporis Christi à quo fit facienda. Decif. 60. n. 21.
- 138 Regulares an omnes teneantur accedere ad Processionem in die Solemnitatis Corporis Christi. Decif. 60. num. 12.
- 139 A quibus fieri possit Processio cum SS. Eucharistia intra octavam Corporis Christi. Decif. 60. num. 23.
- 140 Et à quibus singulis Mensibus. ibid. n. 27.
- 141 Quanam sint Indulgentiæ concessæ Confraternitatibus Corporis Christi. Decif. 60. n. 29. & 30.
- 142 An sit concessa Indulgentia recitantibus Anglicam Salutationem de manè, meridie, ac vespere. Decif. 60. num. 34.
- 143 An Parochi teneantur enuntiare Indulgentias populo, dum deferunt SS. Eucharistiam infirmis. Decif. 60. num. 37.
- 144 Quid sit Pests. Quid Epidemia. Quid Contagium. Et qui morbi contagiosi. Decif. 61. à num. 1. & seqq.
- 145 Quot modis Contagium contrahatur. Decif. 61. num. 6.
- 146 An Scrophulæ sanentur per contactum Regis Franciæ. Decif. 61. n. 9.
- 147 Utrum detur Pests sine Contagio, Et quæ sint præcisæ causæ Pests. Decif. 61. num. 11. 12. & 13.
- 148 Quæ remedia tempore Pests sint adhibenda per Magistratus; & quæ per personas privatas. Decif. 61. num. 14. & 15.
- Utrum laborantibus Peste sit secunda vena, & sanguis extrahendus. Decif. 61. n. 161.
- Quæ, & quot Privilegia sint à jure concessa tempore Pests. Decif. 61. à n. 17. & seqq.
- An valeat testamentum scriptum à Parocho, vel Confessario tempore Pests. Decif. 61. numer. 18.
- An conductor domus, eam deferens tempore Pests teneatur solvere Affictum domino. Decif. 61. n. 19.
- Utrum Canonici tempore Pests sint obligati ad Residentiam, & ad Chorum, Decif. 61. num. 25.
- Utrum privari possint beneficiis Parochi non residentes tempore Pests. Decif. 61. n. 26.
- Quæ Sacramenta teneantur Parochi administrare tempore Pests; & quas industrias exercere pro sua, & Parochianorum salute. Decif. 61. num. 27. & num. 34.
- Inclusio, & destructio in Monasteriis quatuorplex antiquitas esset, & quibus ex causis fieret. Decif. 62. num. 1. & seqq.
- An poena pro delictis carnis sit hodie iudici arbitraria. Decif. 62. num. 5.
- Quid olim esset Poenitentia publica, seu solemnis, & quot essent gradus publicè poenitentium. Decif. 62. num. 6. & 7.
- An Publici Poenitentes essent capaces Ordinum, ac beneficiorum. Decif. 62. num. 9.
- Quanam sint Anachoretæ, Lauritæ, & Ascetæ. Decif. 62. num. 22. & 23.
- Eremitæ quanam proprie dicantur. Decif. 62. num. 27.



DE VENERABILI  
EUCCHARISTIÆ  
SACRAMENTO.

DECISIONIS I.

Ad Januarii Quæstum primum.

ARGUMENTUM.

Agitur de Etymologia vocabuli EUCCHARISTIÆ; & exponitur hæc vox Etymologia. Notatur secundum Juristas differentia inter Etymologiam, Allusionem, Derivationem, & Descriptionem Vocabuli. Docetur, an valeat argumentum ab his vocabis deductum.

SUMMARIUM.

- 1 Etymologia quid significet?
- 2 Etymologia facit argumentum negativum.
- 3 Allusio nominis quid sit?
- 4 Cadaver unde dicatur?
- 5 Etymologia Eucharistiæ unde sit?
- 6 Eucharistia continet sacrificia veteris Testamenti.

QUÆSTUM PRIMUM.

Quanam sit Etymologia Vocabuli EUCCHARISTIÆ?

Professores humanorum litterarum Cleri nostri Patavini præmiserunt, Etymologiam esse grecam vocem indagantem originem Verborum, seu vocum. *Amalib. Onom. Verb. Etymologia.* Componitur enim ex *εὐχαρ* derivante à vocabis *εὐχ*, *εὐχ*, ab *εὐ*, sive *εὐ*, quæ significant *Quod est*. Porro *εὐχ*, & *Verum* sunt ejusdem nature; & ideò Etymologia est sermo de *εὐχ*, hoc est oratio, qua exponitur nominis ratio. Vossius in *Etymolog. ling. lat. Verb. Etymon*, ubi quod Theologia est quidem Sermo de Deo, *Abronomia* de astris, sed *εὐχολογία* non est sermo de nomine; sed ratio; & causa nominis; ideò interpretatur non *Verbi loquium*, sed *Verilogium*.

Parochi verò Juris utriusque Doctores addiderunt, valde differre inter se Etymologiam, Allusionem, Derivationem, & Descriptionem Vocabuli. Siquidem Etymologia, ut dictum est, idem sonat ac *Verilogium*; eò quia Etymologando veram exponimus Vocis, sive rei originem; exempli gratia *Mutumum* ex eo tale dicitur, quia ex *Meo* fit *Tuum*; *Testamentum*, quia est *testatio mentis*. Ecclesia Collegiata, quia in ea Clerici colliguntur. Vel *Conventualis*, nam in ipsa Clerici conveniunt. Ideò valetur de Sacramento Eucharistiæ.

gumentum in Jure ab Etymologia vocabuli, sed negativè tantum; ut ex *Meo* non fit *Tuum*, ergo non est *Testamentum*. Clerici non conveniunt simul, seu non colliguntur in Ecclesia; Ergo ipsa non est Collegiata, vel *Conventualis*. *Eyerard. in locis legalibus loc. 4.* *Barbof. in locis commun. loco 44. num. 1.* *Decian. consult. 43. num. 18. vol. 5.* *Parifus de Confiden. quest. 26. num. 8.* & *Pichard. in dist. de Mora num. 3.* Porro *Allusio* est simplex consonantia vocum cum nomine, ut *Passio* quasi *Pedum passio*. *Pontifex*, quasi *Pontem morum faciens*. Et ex hac non deducitur in Jure argumentum concludens, neque negativè, neque affirmativè; ut probant *Eyerard.* & *Barbof. de locis*. *Cajacius lib. 11. observ. 37.* idem *Barbof. incoll. DD. ad cap. Fundamenta n. 18.* *De Elect. in 6.* Ceterum *Derivatio* est demonstratio rei ab effectu, ut *Mercatus à Merce*, *Tutor à tuendo*, *Rex à regendo*. Tandem *Descriptio* est indagatio qualitatis subiecti ab ipsa voce, seu nomine. Exempli gratia. Si *Bonifacius* dicatur esse *Vir bona faciens*. *Justinianus Vir faciens Justitiam*. *Cadaver*, id est *Cara data Vermitibus*, ut eruditè *Hieron.* à *Basilica Petri in Ephemer. sacer. die 29. Mensis Januarii pag. 631.* ac similia. Et ex his pariter non datur in Jure argumentum efficax, prout advertunt *DD.* *supra citati*; etiam apud *Rhetores* admittitur in Oratione juxta Aristotelis præcepta 2. *Topic. cap. 2. loc. 19.* & ibi *P. Silvest. Maurus in Commentar.*

His ita præmissis, respondentes quæsto, dixerunt, Etymologiam EUCCHARISTIÆ venire, ab *εὐχαριστία*; quarum prima dictio significat *Bonam*, & secunda verò *Gratiam*; & sic *Eucharistiam* denotare *Bonam Gratiam*, ea ratione, quia continet realiter *CHRISTUM*, qui est plenus gratia. *S. Thom. 3. p. 4. q. 73. art. 4. Gloss. in clem. 1. de Privileg. Verb. Eucharistia.* *Catechism. Roman. De Sacram. Euch. c. 3.* ubi alia redditur ratio his verbis: *Næc ne d minus aptè gratiarum actionem interpretamur (EUCCHARISTIAM) siquidem cum hæc purissimam Hostiam immolamus, immensas quotidie gratias pro universis in nos beneficiis Deo agimus, atque in primis pro eius gratia tam excellenti dono, quam nobis hoc Sacramentum tribuit.* Et de hac abundantissima gratia, resiliante ex EUCCHARISTIA, qua ipsi Deo Optimo Maximo gratias agimus novissimè tractat *Paul. Segner.* in suo devotissimo liberculo *L'Adoro della Vita*, *confid. 4.* & ante ipsum *Emin. Card. Tolietus in Summ. lib. 2. cap. 4.* ubi demonstrat, in EUCCHARISTIA contineri omnia Sacrificia populi Judaici, videlicet *A* *Holo-*

Holocauftum, Victimam placabilem, & Hostiam Pa-

DECISIONIS II.

Ad Januarii Quæsitum Secundum.

ARGUMENTUM.

Declarantur nomina, quibus à SS. Patribus con-

SUMMARIUM.

- 1. Eucharistia consideratur vel ut Sacrificium, vel ut Sacramentum.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quot, & quibus nominibus nuncupatur EUCHARISTIA?

Responsum fuit sub hac distinctione. Sanctissima EUCHARISTIA consideratur vel ut Sacrificium, vel ut Sacramentum.

Agogia, videlicet Secreta actio. Nonò, Latria, idest Cultus Dei. Decimò, Anaphora, hoc est Supplicatio, & invocatio.

DECISIONIS III.

Ad Januarii primum Casum.

ARGUMENTUM.

Pro resolutione Casus: An Parochus non jejunus possit celebrare, & consecrare pro communicando moribundo; ostenditur, quod in initio Ecclesiæ, & successivis temporibus, non nisi jejuni Sacerdotes celebrabant, & fideles pariter jejuni communicabant; quamvis Missæ essent vespertinæ, vel nocturnæ.

fione à Divinis, vel Carcere, aut alia pœna arbitraria.

SUMMARIUM.

- 1. Eucharistia data à Christo Apostolis non jejuni.
- 2. Jejunium ab Ecclesia semper requisitum in recipienda Eucharistia.
- 3. Missæ antiquitus nocturnæ, & vespertinæ.

PRIMUS CASUS.

Ob generalem Communionem à Parocho post Missam factam, nulla remansit Hostia consecrata.

Rectores Animarum hujus Patavinæ Diœcesis, quorum plures versatissimi sunt in Ecclesiastica Historia, in lectione Sanctorum Patrum, & in antiquis Ecclesiæ Ritibus, pro majori explicatione præsentis casus præmiserunt quatuor.

Primum: Quod quamvis Christus Dominus de hoc mundo discesserit ad Patrem, post esum Agni, & communem cum Discipulis cœnam, adimpletis legalibus cœremoniis, ac sine imposto antiquis Sacrificiis, novum pretiosum Corpus, & Sanguinem sui inlitterit Sacramento, illudque Apostolis non jejuni fuerit impertitus, nihilominus Ecclesia, ejusdem magisterio edocta præcepit, ut hoc Sacrosanctum Mysterium non nisi à Sacerdotibus jejunis celebraretur; & à fidelibus jejunis naturali abstinentiâ, & (ut loquitur Tertullianus, de jejun. cap. 6.) Virgine adhuc Saliva, tantum exciperetur.

Secundum Præmissum. Et quamvis in primordiis Ecclesiæ Sacrosanctum Missæ Sacrificium, ut plurimum, tempore noctis celebraretur, pro securiori accessu fidelium tempore persecutionum; & essent in usu Missæ vespertinæ, ad paulatim extinguendum ritum Synagoga, quæ sacrificia manè, & vespere offerre consueverat, ut latius infra in Mense Martio ad Primum Casum; nihilominus Sacerdotes celebrantes semper erant jejuni, ut constat ex S. Augustini. epist. 86. ad Casulanum; & ex pluribus SS. Patribus sedic. Emin. Cardin. Bona d. lib. 1. Rerum Liturgicar. cap. 21. ubi advertit, per plura De Sacramento Eucharistiæ.

secula fuisse in usu nonnullas Missas nocturnas, præsertim in Sabbato Sancto, de quo S. Hier. in Matth. cap. 25. & Tertullian. lib. 2. ad Uxorem cap. 4. & ideo in Oratione illius Missæ, in Præfatione, & in Communicantes dicitur Sacratissimum noctem, quia celebrabatur media nocte; & ulterius in Quadragesima, & in Vigiliis quatuor temporum Missa dicebatur hora Vespertina, protracto semper jejuni usque ad ipsam, quæ statio sera appellatur à Tertulliano lib. de Jejun. & habetur in cap. Solent de Consecrat. dist. 1. prout etiam in nocte Nativitatis Domini jejunium servabatur usque ad ejusdem noctis medietatem, in qua Missa celebrabatur. Cap. Noctē Sanctā, de consecr. ead. dist. 1. quod adhuc servatur Venetiis in Basilica Ducali Sancti Marci, in qua circa secundam horam noctis cantatur prima Missa Nativitatis Domini à Primicerio adhuc jejuno; & in aliis Provinciis, & de aliis Missis nocturnis refert eruditissimus Card. Bona d. lib. 1. cap. 21. n. 4. & 7. ubi notat quod post sæculum duodecimum tantummodo Missæ in diebus quadragesimæ, & jejuniorum cœperunt dici hora nona; & subinde tum universalis usu, tum à Rubricis Missalis, & à Constitutione q. S. Pii Quinti in Bullario (quæ incipit Sanctissimus) statutum est, ne deinceps Missæ celebrarent post meridiem, prohibitis omnino Missis Vespertinis, & Nocturnis.

Tertium præmissum. Verum tamen est, quod præfatis illis temporibus vel ex aliqua honesta intentione, vel hæreticorum vafricitie, aut incuria Episcoporum in pluribus Provinciis irrepserat abusus, ut aliquando non jejuni celebrarent, vel communicarent; ut de feria quinta in Cœna Domini narrat S. August. d. epist. 118. Socrates lib. 5. Hist. Eccl. cap. 21. Sozomenus lib. 7. cap. 19. & Nicephorus lib. 12. cap. 34. At ab Ecclesia fuit semper repressus, & damnatus hujusmodi abusus, contra quem prodire plures canonones in pluribus Conciliis, de quibus apud Eminentissimos Cardinales Bonam d. lib. 1. cap. 21. Branciatium de Sacro Viatico, pag. 147. & de Laurea in Epitome Canonum Verb. Eucharistia sub rubric. Eucharistia, à quib. & qua dispositione. & de Lugo de SS. Eucharistia disp. 15. à n. 22. & segg.

Quartum tandem præmissum continet casus novem, 6 in quibus licitum est sine naturali jejuni sumere sanctissimam Eucharistiam. Primus est; si Sacerdos celebrans post assumptam Hostiam, vel Vinum consecratum repererit, illam, vel istum non fuisse materiam aptam; debet enim iterum consecrare Hostiam triticeam, Vinumque verum, & licet non jejunos sumere, ut præcipit Rubrica Missalis, De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus §. 3. num. 5. ubi hæc redditur ratio: Quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod à jejuni sumatur. Secundus casus est ille; quem narrat eadem Rubrica Missalis §. 10. num. 3. his Verbis: Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in sincopem incidit, aut moriatur, præmittitur Missa: Si post consecrationem corporis tantum, vel ante consecrationem sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expletur ab eo loco ubi ille desit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum. Et docuit S. Tb. 3. par. q. 83. art. 6. ad 4. Sed deficientibus Sacerdotibus, an Laicus possit sumere Hostiam, & Sanguinem de calice in prædicto casu disputatur infra in Mense Augusto Decif. 29. Tertius est casus, si Sacerdos oblitus, se non esse jejunum, Missam inchoaverit; nam si recorderet post consecrationem, debet persicere Missam, & se communicare, Tamurin. In Methodo expedit. commun. cap. 2. num. 33. ubi id admittit, etiam si in memoria veniat eibus sumptus ante consecrationem, quando esset imminens scandalum, vel infamia ex doctrina Præpos. in 3. p. q. 80. art. 8. dub. 2. n. 49. Quartus est, si post assumptam ablutionem videat in patena fragmentum

consecratum, sive magnum, sive parvum, nam debet illud assumere vel in altari vel in sacristia; tam ante, quam post exutas vestes sacras; etiam si relictum fuisset ab alio Sacerdote. Silveit. Verb. Eucharistia 3. §. 8. Marchin. de ord. tract. 3. par. 3. cap. 3. num. 19. quem citat, & declarat Tambur. d. cap. 2. n. 38. & 39. Quintus, si sit periculum irreverentiae erga Sacramentum, puta quia haereticus, vel sacrilegus sit in ipsum positurus manum, nam potest assumi à non jejunio. Card. de Lugo disp. 14. de Euchar. n. 3. Tamburin. ubi supra cap. 1. n. 76. & cap. 2. n. 41. Qui in tract. de triplici Jure lib. 4. cap. 5. §. 1. n. 6. addit, quòd in tali casu posset Laicus sumere è calice Sanguinem Domini. Sextus, si particula Hostiae consecratae inhæret fundo calicis post assumptionem sanguinem; vel palato infirmi communicati; siquidem per assumptionem vini potest fieri deglutibilis, quamvis vinum prius descendat in stomachum; nam parva illa mora censetur moraliter eadem comestio. Card. de Lugo disp. 15. n. 79. Tamburin. d. cap. 2. n. 42. & 43. Septimus, ob metum mortis cadentem in constantem virum, nisi Sacerdos celebrat non jejunus, dummodo non sit illatus metus in contemptum Religionis, sed ut aliquis Vir potens audiat Missam. Tamburin. citans Ochagaviam, & de Lugo d. cap. 2. num. 45. Octavus, si ex juxta aliqua causa Papa dispenset; prout Julium Tertium dispensasse cum Carolo V. Imperatore, quòd propter stomachi languorem potuisset refici sacra Eucharistia etiam non jejunus cum Bulla anno 1554. 19. Martii ex Famiano Strada lib. 1. Decad. 1. de Bello Belgico, notat Tamburin. d. cap. 2. num. 46. & refert Eminent. Cardin. Brancatius de Sacro Viatico pag. 147. Tandem Novus casus est, articulus, vel periculum mortis; nam ait Rituale Romanum in Rubric. de Commun. Informor. Potest quidem Viaticum brevi morturis dari non jejunus. Rationem hujus Indulgentiae reddit Eminent. Cardin. Brancatius d. dissertatione de Sacro Viatico pag. 146. his verbis: Pia Mater Ecclesiae nobis in patriam redituris, ut in fortitudine hujus cibi ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus, sacrum hoc Corpus, ac caeleste Viaticum (ne casus aliquis opportunum subsistat Christianis militibus, extremis horis cum Demone confingentibus aliquando praeperere possit) non jejunus etiam exhiberi mandavit; multò magis existimans consentaneum, ut quis non jejunus Christi Corpus assumat, quam (ne irreverentiam aliquam infirmis committat) absque hujusmodi Pharmaco salutari doceat. Hanc autem permissionem in usu fuisse etiam in primordiis Ecclesiae constat ex eo, quòd adultis qui baptizabantur in periculo mortis, etiam pranis dabatur Sacra Synaxis una cum baptismo. S. Joan. Chrysolom. Epist. 125. ad Cyriac. Severus Alexandrinus lib. de Baptismo, & Macer in Hierolexico Verb. Baptismus. Quomodo autem fit in praxi accipiendum periculum, seu articulus mortis ad effectum communicandi non jejunus, docet Card. de Lugo cit. disp. 15. de Euchar. à num. 72. & seqq. Tamburin. cit. cap. 5. §. 10. & Gobat. in Experiment. Theol. tract. 4. num. 182. & seqq. quos legere studiosum non pigeat.

His ita praemissis devenit fuit ad resolutionem propositi casus; videlicet:

An Parochus non jejunus possit celebrare & consecrare ad communicandum Moribundum praedictum.

Relatus fuit ingens numerus Doctorum asserentium, & negantium, posse Sacerdotem in casu proposito celebrare; quorum nomina scribunt Diana part. 2. tract. 14. ref. 66. Item part. 3. tr. 4. ref. 33. Item part. 5. tract. 5. ref. 35. quae resident in Coordinato tom. 2. tract. 1. ref. 130. 131. & 132. & Franciscus de Lugo lib. 4. cap. 7. qu. 7.

num. 78. Rationes asserentium sunt, quia Praeceptum communionis in articulo mortis est Juris Divini, quod debet prevalere Praecepto Ecclesiastico de jejunio. Quia sicut Ecclesia dispensat cum ipso infirmo à jejunio, ita censetur dispensare cum Sacerdote, ut possit communicare infirmum; & sicut Sacerdos quilibet in mortis articulo constitutus potest non jejunus celebrare, ut seipsum communicet, ita pro communicando alio: siquidem ex legecharitatis quod pro nobis facimus, pro proximo facere debemus; & hanc opinionem praeter ceteros tenet Quartus in Rubr. Missal. p. 3. tit. 9. sect. 1. dub. 7. Fundamenta illorum, qui negant, haec sunt. Esse contra reverentiam tanti Sacramenti celebrare sine jejunio; cum hoc non liceat nisi in casibus ab Ecclesia expressis. Quòd si admitteremur licere sine jejunio litare, dicendum esset, fore licitum celebrare sine vestibus, sine lumine, sine altari, quòd esset magnum absurdum. Quòd hoc Sacramentum non est absolute, & simpliciter necessarium ad salutem, & ejus Praeceptum non obligat infirmum, quando non adest habilis minister, à quo illud recipiat; & hanc opinionem praeter plures allegatos à Diana, & à Quarto ubi supra, amplecti sunt Azor. par. 1. lib. 10. cap. 30. q. 2. §. sed unde constat. Barbosa de offic. Parochi cap. 20. num. 40. Eminentissimi Cardin. de Lugo de Eucharistia disp. 15. num. 68. Et Pignatell. tom. 3. consulti. 39. num. 2. Quamvis utramque opinionem admittant novissime Gobat tract. 4. num. 334. Pax Jordan. lib. 3. tit. 3. num. 34. & Biffus in Hierurgia Sacra littera S. n. 29. §. 3. & 4. tom. 2. pag. 448.

Mihi tamen videtur omnino tenenda opinio negativa tam in Civitatibus, quam in Castellis, in quibus frequentes sunt Ecclesiae tam Saeulares, quam Regulares, ad quas haberi potest recursus, & inde deferri Sanctissima Eucharistia pro communicando moribundo; & idem videtur sentiendum in Villis, quae parum inter se distant; sicut enim dimidium horae ad minus requiritur, ut Sacerdos se praeparat ad Missam, & celebrat pro consecranda hostia: ita per unius horae spatium, seu parum plus posset properare ad viciniorum Parochialem, ad Sacramentum Venerabile obtinendum; & ad domum infirmi deportandum. Quòd si tempus non sufficit, satis erit infirmo, sacram Synaxim spiritualiter, & in Voto suscipere. Siquidem, ut ait Gloss. super illud 1. Cor. 11. Qui manducat, & bibit indigne &c. Duo sunt modi manducandi, Unus Sacramentalis, & alius Spiritualis, & de hoc spirituali ita dicitur S. Thom. 3. par. quest. 80. art. 1. ad 3. videlicet: Effectus Sacramenti potest ab aliquo percipi, si Sacramentum habet in Voto, quamvis non accipiat in re. Et idò sicut aliqui baptizantur baptismo fluminis propter desiderium baptismi, antequam baptizentur baptismi aquae; ita etiam aliqui manducant spiritualiter hoc Sacramentum antequam sacramentaliter sumant, propter desiderium sumendi hoc Sacramentum. Et quòd sufficit moribundo, ubi non potest habere Sacramentum Eucharistiae in re, suscipere illud in Voto, eruditè demonstrat Eminentiss. Cardin. de Laurea de Eucharistia disputat. 25. à num. 10. usque 24.

Non est autem omitendum, quòd praedictus Parochus esset de Jure punibilis ab Episcopo ob nimiam negligentiam, quia sciens non remansisse in Pixide particulas consecratas, omisit celebrare, & consecrare, antequam medicinam sumeret; & haec dicitur negligentia magna, quae non solum est culpa Magna negligentia, s. de verb. significat. sed etiam culpa lata, quae equiparatur dolo. L. Lata culpa, ubi gloss. in Verb. nimia. s. de Custodia adhibend. reor. Idcirco Parochum negligentem in exhibendis Sacramentis populo suo esse punibilem, scripserunt Grillenzon cons. 171. per totum, & Diaz. in Pract. Criminal. cap. 45. ubi in addit. in fine subdit, vidisse in si-

in similibus negligentis imponi poenam suspensionis à divinis, & reclusionis ad tempus, idest carceris. Et quidem justè; siquidem ubi poena non est statuta à Jure, imponitur arbitrio Judicis, l. Hostie ff. de Panis. Chartar. Decis. criminal. 90. num. 13; & inter poenas arbitrarías circa Clericos primum gradum obtinet suspensio ab officio, idem Chartar. Decis. 66. num. 120. Quòd verò ad carcerem facit doctrina Menochii de Arbit. Jud. casu 571. n. 6. 7. & 8. dicentis, ex negligentia non esse judicem puniendum poena corporali, negligentia concernente res humanas, secus si agatur de spiritualibus, & respicientibus religionem, & salutem animarum. Et quòd poena arbitraria possit extendi etiam ad corporis afflictivam, excepta morte naturali, docent ex criminalistis Jul. Clar. §. fin. q. 85. n. 10. Giurba cons. 14. num. 15. & ibi Card. Tuscus lit. P. concl. 236. n. 37. & 40. & confert ad praedicta Monald. vol. 2. conj. 32. n. 35. ubi plura cumulare circa poenas Praelati negligentis. Et absque scrupulo posset puniri saltem poena pecuniaria, quae plectuntur Parochi negligentes in subministrando pueris pabulo doctrinae christianae; sumpto argumento de pane doctinali ad panem Sacramentalem. Chartar. Decis. 68. n. 7.

Hinc in Synodo dioecetana Eminentiss. Cardinalis Caroli Barberini anno 1685. cap. 9. n. 2. praecipitur, ut conserventur sacrae particulae, ea copia, ut fidelibus communicari volentibus, & maxime infirmis nunquam desint; alioquin Parochi, quorum culpa defecerint, severe puniantur. Illa autem dicitur poenitentia severa, quae fit cum aliquo rigore, est iusto. Alberici à Rosate in suo Dictionar. Verb. Severitas, ubi Archidiacon.

DECISIONIS IV.

Ad Januarii secundum Casum.

ARGUMENTUM.

Sacerdotem mortali culpa detentum, qui pluribus personis EUCHARISTIAM ministrat, mortaliter peccate ostenditur, ratione, auctoritate Doctorum, & indignatione Divina in Ozam, cujus percussio plures, & elegantes causas referuntur. Deterrentur Sacerdotes in peccato EUCHARISTIAM ministrantes revelatione S. Birgittae, & aliis exemplis, ex optimis Auctoribus hic relatis.

SUMMARIUM.

- 1 Eucharistiam ministrare in mortali non est mortale. Contrarium verius n. 2.
2 Ozam qua de causa percussus à Domino?
3 Birgittae revelatio de malis Sacerdotibus.
4 Diaconi impudici exemplum ex Sancto Gregorio Turonense.
5 S. Eudoxiae Martyris exemplum de Eucharistia.
6 Paganis tangentes Eucharistiam, ab ea combusis.

SECUNDUS CASUS.

Sacerdos mortali culpa detentus Eucharistiam ministrat pluribus personis. Queritur, an mortaliter peccet?

Alios DD. asserunt, & alios negare dictum fuit. Nomina eorum, qui negant, esse peccatum mortale ministrare Sacram Eucharistiam à Sacerdote mortali culpa detento, referuntur à Franc. de Lugo de Sacram. lib. 1. cap. 2. quest. 5. num. 39. & Diana coordinato tom. 2. tract. 2. ref. 15. desumpta ex part. 2. tract. 14. resolut. 23. quibus adimplutus est Barbosa de Parochio cap. 20. num. 17. Horum ratio est, quia haec administratio non est actio ca usativa gra-

tiae per se loquendo; & ministrans non censetur Minister Dei ad justificationem proximè, sicut in aliis Sacramentis, sed tantum est, veluti applicans activa passivis, & hanc opinionem tutam in praxi vocat Gobat, etsi probabiliorer putet contrariam in sua Theol. Experim. tract. 4. n. 387. & 388. Tamburin. de exped. Comm. cap. 1. §. 7. n. 59. Et Biffus in Hierurgia sacra Verb. Eucharistia n. 174. §. 4. & §. 5. Asserunt nomina pariter referuntur ab eodem Francisc. de Lugo ubi supra n. 40. inter quos Angelicus Doctor in 4. dist. 5. quest. 2. art. 2. in quest. 4. ad 2. ubi tenet, Sacerdotem ministrantem aliis Eucharistiam in peccato mortali peccare mortaliter, ea ratione, quia hoc Augustissimum Sacramentum nunquam nisi à ministris Ecclesiae ministratur; & quicumque in mortali existens, exhibet se ministrum Ecclesiae, peccat mortaliter. Ultra quòd negari non potest, gravissimum indecentiam committi ab eo, qui in fordidissimo statu peccati, & in inimicitia cum Deo, audeat contrectare manibus Sacrosanctum Christi Corpus, ut confidat Eminent. Card. de Lugo de Sacramenti in com. disp. 8. n. 155. Et idèd cum hac opinione est Nobis transendum, quam amplecti sunt Possevin. de Offic. Curati cap. 5. n. 39. Cotonius Retrosol. celebr. lib. 2. controv. 4. n. 173. Volpi in Resol. Moralib. refol. 59. n. 7. & resol. 140. n. 19. Layman lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 7. Busembaum lib. 6. tract. 1. c. 1. dub. 2. §. 6. Caramuel. In Theol. Fundament. n. 745. Bonacina de Sacram. Eucb. disp. 4. quest. 5. punct. 2. n. 1. Reginald. lib. 29. n. 56. Silveit. Verb. Eucharistia 3. n. 4. Sotus in 4. dist. 13. art. 3. Et praeter Valentiam, Suarezium, Coninchium, Villalob. & Filluc. Bordonus Variar. resolutionum par. 2. ref. 64. à n. 22. & seqq. ubi acriter Dianam impugnat, atque iuribus, auctoritatibus, & rationibus probat, Sacerdotem ministrantem in peccato mortali Sacram Eucharistiam, peccare mortaliter.

Confirmatur haec opinio punitione Ozae, qui indignus tetigit Arcam Veteris testamenti: nam Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam Dei. 2. Reg. 6. 7. licet enim Sacri Interpretes varii sint in assignanda causa hujus punitionis. Alii enim dicunt, punitum Ozam, quia more gentilium posuit Arcam in curru, cum à Levitis esset portanda. Alii quia non erat vestitus Ephod; Alii, quòd illam tetigit nuda manu; quod non licebat, sed mediante Velo, quo cooperiebatur, ut videre est apud Abulenf. d. loco quest. 10. & apud Joseph. Antiq. Judaic. lib. 7. Communior tamen opinio est, quòd Oza nocte praecedenti carnalem copulam exercuerit, & idèd immundus Arcam tetigerit, quòd neque Sacerdotibus Gentilium licebat, ex Macrobi. lib. 1. Saturn. c. 23. & Menoch. in Storci part. 2. cap. 70. Igitur eò magis puniendus Sacerdos novae legis, qui mortali culpa detentus ministrat Sacram Eucharistiam, quae in Arca figuratur. Sperell. in Paenest. Teleturg. cap. 35. n. 4.

Et ad tollendam vanam fiducia illorum, qui admittunt excusationes faciles in peccatis, referendam censui lamentationem, quam Redemptor noster legitur fuisse cum S. Birgitta de Sacerdotibus in peccato mortali existentibus, expressam his verbis lib. 4. Revelat. cap. 133. n. 4. Audite, d. exercitus meus, & omnes Angeli: Elegi Sacerdotes praeter omnes Angelis, & justis, & dedi eis solum potestatem, ut CORPUS MEUM TRACTARENT. Si enim voluissem, potuissem bene esse gisse Angelum aliquem ad tale officium, sed tantum dilexi Sacerdotes, ut eistantum honorem concederem, & constitui eos, ut starent ante me quasi in septem ordinibus. Deberent enim esse patientes, quasi oves. Stabiles quasi murus bonifundamenti. Animosi quasi milites. Sapientes quasi ser-

pentis. Podici quasi Virgo. Mundi quasi Angelus. Ardentes amore quasi sponsa ad cubile viri sui. Nunc autem averterunt se pessime; sunt enim feri quasi lupi rapaces, qui in fame, & cupiditate sua nulli cedunt, nulli deferunt honorem, nihil erubescunt. Secundo, instabiles quasi lapis in muro infirmo, quia diffundit de fundamento, id est de Deo, quod non possit eis dare necessaria, vel non velit sustentare eos. Tertio sunt in tenebris, quasi fures, ambulantes in tenebris vitiorum; nec sunt audaces, quasi milites ad pugnandum pro honore Dei, vel ad aggrediendum opus virile. Quarto, stant quasi Atrius, qui caput inclinatum ad terram, sic ipsi stolidi, & insipientes, semper terrena meditantur, & presentia, & nunquam futura. Quinto impudici sunt quasi Meretrices, procedunt ad me in habitu meretricio, omnia membra habent ad luxuriam. Sexto, sunt quasi pice deformiter maculati; omnes, qui accedunt ad eos deturpantur. Septimo, sunt abominabiles quasi vomitus, & levis, & melius esset mihi accedere ad vomitum, quam ad delectationem habendam cum eis. Ita autem abominabiles sunt, ut omnis exercitus caeli abominetur eos. Et paulo inferius sub n. 5. subdit: Ego dedi eis tractare CORPUS MEUM, quod nullus vestrum, si jaecerit ante vos, aunderet contingere. Ideo concludit in fine sicut Proditoris, non sicut Sacerdotis judicabuntur, si se non emendaverint.

Utinam omnes Sacerdotes frequenter, & cordate meditentur hujus Verba revelationis.

AT devotos, & pudicos Ecclesie Ministros non tateat observare sequentem narrationem Gregorii Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86. Recolo (ipse ait) quod in adolescentia mea gesum audivi. Dies passionis erat Policarpi Martyris Magni, & in Ricomajensi Vico Civitatis Arvernæ ejus solemnia celebrabantur. Lecta igitur passio, cum reliquis lectionibus, quas Canon Sacerdotalis invehit, tempus ad sacrificium offerendum advenit: acceptaque turris diaconus (Turris erat Vas in figura turris formatum, in quo deferretur processionaliter Eucharistia. Macer in Hieroleo. Verb. Turris) in qua ministerium Domini Corporis habebatur, ferre cepit ad ostium, ingressusque tempus, ut eam Altari superponeret, elapsa de manu ejus, ferebatur in aera, & sic ad ipsam aram advenit, numquam eam manus Diaconi potuit adsequi, quod non alia credimus actum de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia; sepit enim ab eodem adulteria ferebantur admitta. In igitur, an liceat absque peccato ministrare Sacram Synaxim. Memorentur Sacerdotes verba Divi Joan. Chryso. Hom. 83. in Matth. Quos radios salares non debent excedere manus illa, quæ hanc carnem trahit? Et illa, quæ habentur in lect. 6. Breviter, in Dominica infra octavam Corporis Christi. Quo (scilicet non oportet) salari radio non splendidiorum manum, carnem hanc dividendam? Observetur Verus Ecclesiasticus Josephi Mansi lib. 2. cap. 4. ubi probat in Judam non introisse diabolum, quando surabatur, sed quando indignè recepit Eucharistiam. Post bucellam introivit in eum Satanas. Jo. 13.

Tandem legatur Vita S. Eudoxie Martyris, quam ponit Calendis Martii Hieronym. à Basilica Petri Congreg. Oratorii Neapolit. in Juri Ephemericid. sacris. Item in p. 1. Metamorphos. Sac. Castigat. 85. & reperitur, qualiter à Diogene iniquo Judice Idololatra in Civitate Heliopoli, Imperante Trajano, cum damnata fuisset Eudoxia Martyr ad verbera; dum quatuor milites eam vestibus exebant, ab ejus peccatore cecidit Sacra Particula EUCHARISTIE,

quam eo tempore fidelibus deferendam concedebat Ecclesia, ut fumentes illam, fortiores redderentur in tormentis. Genusflexa statim Eudoxia & adorare, & fumerem sacram Synaxim conabatur; à unus militum velocius eam arripuit, exclamante Eudoxia, Cave, cave, ne tangas. Deus est. Dominus omnium, tremendus, colendus, metuendus. Irresidebant illam Pagani; & Diogenes Judex, Hostiam Sacram sibi tradi à milite jubet, quam cum porrectam manu reciperet, ad instar pulveris tormentarii exarist EUCHARISTIA in violentas flammis, quibus ipsi quatuor milites ceciderunt extincti; consumptaque evasit manus, & brachium Judicis, reptantis præ dolore per humum, & ejulantis. Huic tremenda punitioni consimilis est illa, quam refert Emin. Card. Bona Rer. liturg. lib. 2. cap. 17. sub n. 4. ex S. Cyprian. lib. de lapsis, his Verbis: Cum quedam mulier arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, no audeat attingere. Refert etiam Arsedekim in Theolog. Tripar. tom. 1. traç. 2. cap. 4. n. 4. Veraciter itaque Sacerdotes (si qui sunt, quod non est credendum, culpa maculati mortali) tangere, & dispensare populo Sacra Mysteria.

DECISIONIS V.

Ad Januarii casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Recensentur rationes ad suadendas Moniales, ut frequenter Sacram Eucharistiam sumant. Illæ, quæ ob nimium timorem abstinent, motivis decem, & octo confortantur. Illæ autem, quæ ob indevolutionem, & tepidam vitam raro communicant, aliis tredecim arguuntur.

SUMMARIUM.

- 1 Moniales ex nimio timore, vel humilitate abstinentes à frequentia Eucharistie, quibus rationibus suadende.
- 2 Amor preferendus timori erga SS. Eucharistiam.
- 3 Materia Eucharistie cur non aurum, margarite, vel lapides pretiosi?
- 4 Christiani in primitiva Ecclesia communicabant quotidie.
- 5 Matrone Romane vestentes carnis Cervi, sane vivebant.
- 6 Mathilde Ducisse monita duo data à Gregorio VII.
- 7 S. Catharina Senensis quotidie communicabat.
- 8 S. Bonaventura ab Angelo communicatus.
- 9 S. Petrus Celestinus divinitus monitus, ut quotidie celebraret.
- 10 Hieronymus à Basilica Petri laudatus.
- 11 Exempla plurimorum, quibus calidus fuit delata Communio.
- 12 Jo. Bonifacius Bagatta Cler. Reg. Theatinus commendatus.
- 13 Tepidorum in vita spirituali quæ sint mala?
- 14 Cor hominis requiritur à diabolo.
- 15 Tepidorum Religiosorum punitiones, ac terrores.
- 16 Tepidis Religiosis quæ auxilia danda?

CASUS PRUDENTIALIS.

Quibus argumentis suadende sint ad frequentiam sanctissimæ Communionis Eucharistie Moniales illæ, quas raro eam sumere, vel difficiles ad frequenter sumendam, reperit Confessorius?

Doliosissimi hujus Cleri cum distinctione responderunt Casui huic. Vel enim Moniales raro communicant, & sunt difficiles ad frequentiam communionis ex motivo timo-

timoris, ob summam reverentiam erga hoc Divinum Sacramentum, & ob profundam humilitatem? Vel ob libertinam vitam; videlicet, quia negligenter vivunt, neque perfectioni student Religiosæ?

Moniales primi generis suadendas esse dixerunt sequentibus rationibus, argumentis, & exemplis.

Primò: Timore ipsarum erga Deum esse quidem bonum, atque earum humilitatem esse laudabilem; ex hac etenim, & ex illo provenit reverentia debita sanctissimæ Eucharistie; sed amorem esse preferendum timori, ut docet S. Thom. 3. p. quest. 80. art. 10. ad 3. ubi eleganter advertit, quod cum dixisset ob humilitatem Petrus ad JESUM, exi à me Domine, quia homo peccator sum. Luc. 5. 8. Respondit JESUS: Noli timere, suadens in Petro animabus fidelibus, & humilibus, ut præferant amorem timori, & confiderent accedant ad ipsum.

Secundò: Hinc laudabilis quidem fuit reverentia Centurionis, ejusque humilitas dicens: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed laudabilior videtur amor, & fiducia Zachæi, qui cum audisset, Dominum velle ad eum domum venire, Festinans descendit, & excepit eum gaudens. Luc. 19. 6.

Tertio: Idcirco docendæ sunt, atque instruendæ moniales timide, sed humiles, & devotæ, quod earum amantissimum Sponsus CHRISTUS summopere desideravit ab initio suæ Incarnationis pacere divina carne sua animas fideles. Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Luc. 2. 15. Et hoc jam desiderare in presenti circa ipsas; quas propterea vocat, & invitat ad frequentem summptionem sui pretiosissimi corporis, dicens: Venite, comedite panem meum, & bibite Vinum quod miscui vobis. Prov. 9. 5.

Quarto: Et hanc esse causam, ob quam CHRISTUS Dominus communem materiam, Panem scilicet, & Vinum, in suum Corpus, & Sanguinem selegit transfusantandum; non autem margaritas, aurum, vel lapides pretiosos; prout videbatur convenire tanti mysterii dignitati. Licet enim celebraverit in Cænaculo strato magno. Luc. 22. 12. & in Calice ex Agatæ, ut notat Victorell. in addit. ad Apollin. Emanuelis Sâ, Verb. Calix. Vel potius in Calice Argenteo, qui in Cathedrali Valentie servatur. Baron. Ann. 34. num. 63. Card. Bona Rerum liturgicar. lib. 1. cap. 25. Barrad. tom. 4. lib. 2. cap. 11. & Menoch. in Storeis centur. 6. cap. 38. Nihilominus pro materia elegit Panem, & Vinum, ut facilis esset ipsa materia ad inveniendam, consecrandam, & animabus justis porrigendam per manus Sacerdotum; quibus etiam liberam reliquit facultatem consecrandi abque restrictione quantitatis materiam, ut magis nos certiores faceret, desiderare, quod omnes fideles frequenter Eucharistiam sumant. S. Thom. 3. part. quest. 74. art. 3. in corp. juxta vaticinium illud: Venite, & emite absque argento. Isa. 55. 1.

Quinto: Sicut enim Rex generosissimus, qui Regnum suum percurreret, ut donis ditaret plebem, Cives, atque nobiles, lætaretur valde videns eosdem ad se preparare: Ita DEI FILIUS, qui habet in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium. Apoc. 19. 16. concessione sui ipsius in Eucharistia locupletes facit sensus corporis nostri tamquam plebem, illos aptos reddens æternæ beatitudinis. Sanctificat inferiores potentias tamquam cives per suam gratiam, & illustrat potentias superiores, Intellectum scilicet, & Voluntatem, gradum nobilium obtinentes, easque charissimum donis condecorat, Ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joan. 10. 10. Hæc autem omnia elargitur immenso amore, & charitate, & accedentes rem gratissimam faciunt illi; qui Memoriam fecit mirabilem suorum misericordiarum, & miserorum Dominus, eam dedit timenibus se. Plal. 110. 4.

Sextò: Imò amantissimus Dominus fecit se in De Sacramento Eucharistie.

Eucharistia similem matri, vocanti ad se puerulum per ostensionem mamillarum; juxta illud: Mamilla Regum (id est Angelorum) lactaverit. Isa. 60. 16. Et illud: Panem cæli dedit eis: panem Angelorum manducavit homo. Plal. 77. 25. Et ideò ut diximus dulcè clamat, & amanter invitat: Venite comedite panem meum, & bibite Vinum, quod miscui vobis. Prov. 9. 5.

Septimò: Sed frequenter sumere oportet sanctissimam Eucharistiam, ut peccata evitemus; sic suadentibus Doctoribus Sacris, relatis ad Angelico 3. part. quest. 80. art. 10. in corp. Idcirco primitivi Christiani sanctè vivebant, quia quotidie communicabant; Erant enim perseverantes in communicatione fractionis panis. Act. 2. 42. Et eos consuleret monemur ab oraculo Divino in illis verbis: Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulante in ea. Jerem. 6. 16. Inter Indos dicuntur esse aves incorruptibiles, quia aromatibus herbis vescuntur. Ita anima fidelis præservatur à putredine peccati, quæ pascitur Eucharistico cibo. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, Jo. 6. 58.

Octavò: Hortandæ sunt etiam Moniales ex nimio timore, & reverentia abstinentes à communione Altaris hac vulgari, sed valida ratione: quod sicut ex defectu cibi corporalis deficit vires corporis, ita ex neglectu spiritualis alimonie animæ virtutes debilitantur. Percussus sum ut saxum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Plal. 101. Apes diu vivunt, quia cibo saluberrimo nutriuntur, nempe melle. Arist. de longitudo vite cap. 3. Igitur frequenter communicent, ut vires habeant ad vitam spiritualem servandam.

Nonò: Quòd si dicant, pluribus aggravatas esse infirmitatibus spiritualibus: addat Confessorius id, quod testabatur S. Ignatius Martyr Episc. 14. ad Ephes. scilicet Eucharistiam esse medicamentum purgans vitia, & omnia mala expellens.

Decimò: Iterum iidem considerandum proponat, militiam esse vitam hominis super terram. Job. 7. 1. At panem Eucharisticum esse mysticum gladium ad pugnandum, quem in spiritu vidit Gedeon Dux exercitus. Jud. 7. & de eo dicitur: Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Pl. 22. 6. Et jure quidem valet ad debellandos inimicos spirituales, tum quia continet ipsum CHRISTUM, cui data est omnis potestas in Cælo, & in terra. Matt. 28. 18. tum etiam quia repræsentant ejus sanctissimam Passionem; per quam attriti sunt demones, & ad ejus memoriam contremiscunt.

Undecimò: Et quidem ad tuendam animæ, & corporis puritatem, quam præsertim decet Virgines sacras, necessaria est Eucharistia frequens sumptio; quæ est Panis electorum, & Vinum germinans Virgines. Zachar. 9. 17. ut disertè probat S. Thom. 3. part. quest. 79. art. 6. & opusc. 48. cap. 7.

Duodecimò: Narret Confessorius his monialibus, quod scribit Plinius lib. 8. cap. 32. videlicet Romæ quasdam Principes feminas, omnibus diebus matutinis carnem Cervi degustare solitas, longo ævo caruisse febribus. Ostendat deinde CHRISTUM Dominum assimilari Cervo à sponsa: Similis est dilectus meus caprea, binnuloque Cervorum: Cant. 2. 9. ideoque moniales vescantur sæpè sua pretiosa carne, ut liberentur à febre culpæ. Hoc enim Sacramentum est antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur. Concil. Trident. sess. 13. cap. 2.

Decimo tertio: Seritis, gravibusque verbis ulterius exponat, esse diaboli astutiam, dum fidelis animæ suggerit, abstinerere diu à Communione, sub reverentia prætextu; juxta præceptum S. Cyrilli Alexandrini lib. 4. in Joa. cap. 17. scribentis: Cavemus, ne loco laquei damnosam religionem diaboli nobis prætentat. Si quidem errat, qui non munditiam animi,

sed intervalla temporis longioris, meritum putat, ut docebat S. Joan. Chryfost. Hom. 5. in Ep. 1. ad Timoth.

6 Decimo quarto: Confessarius doceat Moniales suas id, quod Gregorius Papa Septimus scripsisse Mathilda Ducifae refert Card. Baron. ann. 1074. num. 12. & 13. videlicet, duo professe ad perfectionem christianam acquiendam; frequentiam scilicet sanctissime Communionis, & devotionem erga DEIPARAM.

7 Decimo quinto: Iisdem narret, qualiter Sancta Catharina Senensis quotidie, ex Divini Sponsi monitu communicabat. S. Antonin. 3. part. Hist. tit. 23. cap. 14. §. 8. & aliquando ad os illius Sacratissimam Hostiam fuisse miraculose allatam.

8 Decimo sexto: Sanctum quoque Bonaventuram, dum juvenill ætate abstineret præ nimia reverentia, & timore à Sacre Synaxis sumptione, eam fuisse sibi ab Angelo oblatam; & ad frequenter fumendam exhortatum. Sur. in ejus Vita tom. 3. die 13. Jul. Et in Chron. S. Franc. par. 2. lib. 2. cap. 2. Prout etiam S. Petrus Cœlestius cum statisset præ humilitate abstineret à frequenti celebratione Missæ, monitus fuit cœlesti quadam Visione, ut quotidie celebraret. Ribadeneira in ejus Vita in extravag. die 19. Maii.

10 Decimo septimo: Legat Confessarius Sacras Ephemeres, id est Vitas Sanctorum extravagantes scriptas à supradicto Hieronymo à Basilica Petri ( qui olim nobilis Aulicus Eminentissimi Præfultis nostri, plus nunc est Presbyter Congregationis Oratorii Neapolis ) & inveniet exempla plurima, eaque pulcherrima, narranda prædictis Monialibus devotis, sed timore perterritis, ut eas suadet ad communicandum frequenter; nam die 5. Januarii n. 13. Sanctus Gerlacus Eremita fuit ab Angelo communicatus. Beata Ivetta, cum quidam Sacerdos recusasset illam communicare, apparuit S. Joannes Evangelista, qui Missam celebravit, & ei Sacratissimam ministravit Eucharistiam. Die 13. Januarii n. 28. Beata Veronica Monialis Mediolanensis pluries ab Angelis, bis à CHRISTO Domino fuit Sacra communione resecta. Diæ die 13. Januarii num. 8. Apollonius Abbas hortabatur suos Monachos, ut frequentissime Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini sumerent. Die 25. Januar. n. 12. Beata Joanna de Valois, filia Ludovici XI. soror Caroli VIII. & uxor Ludovici XII. Regum Franciæ devotissima erat Sanctissime Communionis. Die 14. Februarii n. 5. Sanctus Ludanus Peregrinus communicatus fuit ab Angelis. Die 12. Februarii n. 2. B. Juliana Priorissa Montis Cornelli, Leodii, vocabatur EUGHARISTIAM delicias gutturis sui. Die 5. Aprilis num. 5. Ven. Ida Virgo Lovaniensis tantò desiderio expectabat communicari, ut sibi transgereret pectoris vena. Die 13. Aprilis num. 7. & tanta exultabat lætitia in conspectu Sacratissimæ Hostiæ, ut frenetica reputaretur. Ibid. num. 12. Et aliquando, cum reperisset apertum Tabernaculum impetu amoris acta Pixidem extraxit, in qua Sanctissimum Corpus CHRISTI servabatur, & adoratione facta, non cessabat Pixidem viculari, ad suas genas admovere, & stringere ad pectus. Ibid. num. 17. Cumque fecerit accedere ad communionem, & perterrita à consideratione Majestatis Divinæ, & prope suæ indignitatis, vellet recedere, apparuit illi Deipara, ac Evangelista Joannes, illamque afficiens ad accipiendum sacrum CHRISTI Corpus duxerunt. Ibidem num. 23.

12 Decimo octavo: Tandem Confessarius legat Admiranda Orbis Christiani per Joannem Bonifacium Bagattam Clericum Regularem Theatinum collecta ( opus utique admirandum ob nimiam lectionem, eruditionem, & quasi infinitorum prodigiorum exempla prodigiosum ) & in eis tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 4. reperit, plures Sanctas, & devotas Virgines,

ex humilitate non audentes accedere ad Sacram Eucharistiam sumendam, fuisse tum ab Angelis, tum à CHRISTO Domino eadem resectas; ex quibus exemplis abundè hortari, & confortari poterunt Moniales hinc temporibus ad frequentiam Venerabilis Sacramenti, ob extimam, & ineffabilem benignitatem Salvatoris, qui illud instituit, non ut claudum servaretur in Pixide, sed ut ab animabus puris, & devotis reciperetur, quibus se oblectare posset juxta illud: *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Proverb. 8. 31.

Moniales verò secundi generis, quæ raro communicant, eo quia libertinam vitam ducunt, negligenter vivunt, & non satagunt religiosæ perfectionis, suadendas esse ad frequentiam Sanctissime Communionis, dictum fuit, sequentibus rationibus.

Primò, quia Monialis tepida Deum inhonorat, & 13 ei displicet, unde dicitur causare vomitum, & nauseam Altissimo, juxta illud Apoc. 3. 16. *Quia tepidus es, ego incipiam te vomere ex ore meo.*

Secundò, quia obtenebrat pulchritudinem, & splendorem totius Communitatis, & Monasterii; est enim Monialis indevota tamquam filius inobediens, sponsa infidelis, & miles indisciplinatus, qui militarem ordinem perturbat.

Tertiò, quia privat se ipsam donis, & Christatibus cœlestibus, & se præcipitat in Cordis duritiam, & finalem impenitentiam, rem quidem miseram, juxta illud: *Dicis quod dives sum, & locupletatus, & non nullus ego, & non scis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Apoc. 3. 17.

Quartò, quia Monialis vitæ tepidæ, & indevotæ dat scandalum aliis, & præcipue adolescentulis, quæ de facili imitabuntur ejus exemplum. Scriptum est autem: *Peccatum illi, per quem scandalum venit.* Matth. 18. 7.

Quintò, idcirco ei inculcandum, quòd *arcta est via, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. 14. Unde S. Teresa in Admonit. 14. pag. 319. epist. par. 1. ait: *Amara più, e camina con più rettitudine, perché il camino è stretto.* Idem tantum abest ut liceat tepidè vivere, quòd immò oporteat, pro justitia agonizare, & usque ad mortem certare pro justitia. Eccles. 4. 33. Siquidem, ut ait Apostolus 2. Timoth. 2. 5. *Quicquid in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit.*

Sextò, ulterius innuendum esse hujusmodi Moniali, quòd Deus postulat cor ejus, dicens: *Filia præbe mihi cor tuum.* Prov. 13. 26. Diabolus autem conatur sibi illud arripere. Hinc S. Antonius Abbas cum invenisset Diabolum insidantem inter suos Monachos, & interrogasset, quid prætenderet ab illis? Respondit diabolus: *Præterdendum lunam, oculum bovis, & quartam partem rotæ; & evanuit.* Orans autem S. Abbas intellexit quòd diabolus prætendebat cor Monachorum expressum à diabolo supradictis verbis, quæ denotat has tres litteras C. O. R. Unde quidam Poeta cecinit.

*Dimidium spheræ, spheram, cum Principe Romæ,  
Postulat à nobis divinus conditor Orbis.*  
Ut refert Episcopus Osmen. in 1. partem Epistolæ. S. Teresie in advot. ad Admonit. 18. num. 8. §. 9. & 10. pag. 328.

Septimò, addendum, quòd Patres Eremitæ, teste Cassiano lib. 10. *Monast. Instit. cap. 1.* docebant, tepiditatem vitæ esse Dæmonium Meridianum; de quo in Psal. 90. tum quia tentat in viridi ætate, tum quia transformatum in Angelum Lucis impedit ne Religiosa tepida cognoscat periculum vitæ suæ; ut tradit Arelus tom. 7. pag. 656.

Octavò, subinde oportet admonere Moniales tepidas, & se subtrahentes à frequentia SS. Communionis, mortiferum esse signum, cum infernum cibum repunit & esse scriptum, quòd *anima saturata calcabit favum.* Proverb. 27. & cum Deus punire voluit

voluit Hebræos misit saturatam in Animas illorum. Psalm. 105. 15. id est morbum saturantem, ut notat Genebrard.

Nonò terrendas hujusmodi Moniales, & revocandas esse à tepiditate prædicta, quia eam sequitur violatio Cæstitatis; unde scriptum est: *In lapide luto lapidatus est piger.* Eccl. 22. 1. unde Sanctus Bonaventura ait: *Lapis luteus potest dici peccatum immundum, ad quod Accidia facit hominem pronum;* ac etiam Poeta cecinit:

*Quæritur Equus quare sit factus adulter?  
In promptu causa est: desidiosus erat.*

Quapropter etiam in Paradiso voluptatis injunctum fuit Adæ, ut operaretur. Gen. 2. 15. quia Religio Paradisus est, & Religiosa debet operari, & à desidia, & tepiditate cavere, quod etiam comprobatur ex eo, quia super Altare Domini Panes propositionis debebant esse Calidi. 1. Reg. 21. 6.

Decimò, idcirco Confessarius debet efficaciter hortari tepidas Moniales, ut fervorem, & calorem Spiritus assumant, & desipiant accedere frequenter ad sacram Mensam, aliàs timeant, ne pereant; cum scriptum sit: *Qui elongant se à te peribunt.* Psal. 72. 27. Et Petrus cecidit, ac Magistrum negavit, quia in ejus passione (cujus memoriale est Eucharistia) sequebatur eum à longe. Luc. 22. 54.

Undecimò addendum per Confessarios, ne prædictæ Moniales tepidæ expectent senectutem, pro devotione habenda; siquidem: *Qui convertentur ad Vesperam, jamem patientur ut Canes.* Psal. 58. 7. Et Virgines fatue, quia tardaverunt ornare lampades suas Oleo fervoris, & devotionis, audierunt sponsum dicentem sibi: *Nescio vos.* Matt. 25. 12. Ideoque, *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare Corda vestra.* Psal. 94. 8.

Duodecimò, addenda sunt exempla, quibus Sancti Patres animadverterunt in Religiosis tepidos; nam Sanctus Pacomius Abbas prohibuit exequias super Monacho tepido defuncto, ut in ejus vita cap. 39. Filius, qui obtinuit à Matre, ut religionem ingrederetur, dicendo *volo salvare animam meam*, cum declinasset à fervore spiritus, habuit Visionem, in qua rapus ante Dei tribunal judicandus, & condemnandus, vidit Matrem suam, & audivit eam sibi exprobrantem, ita *salvasti animam tuam?* Ruffin. de Vitæ Patrum num. 213. Alius Monachus tepiditate spiritus correptus, cum parùm post obiisset, visus fuit ab ejus Magistro orante, quòd rapiebatur per fluvium igneum: *Menech. Hist. Sacr. part. 3. §. 235. Qui §. 303. subdit, Sanctam Birgittam virginem Scotam vidisse Satanam jacentem propè Moniale, quæ desidia, & torpore in Religione vivebat; ex Sur. in ejus vita Kal. Februar. Et Sanctus Ignatius Religiosus tepidè operantem redarguit dicens: *Sic pro Deo operaris? Philagia Tractationum. 30. pag. 396.**

Decimo tertio: Ultra monita, & exempla hucusque adducta prudentis Confessarii intererit proponere auxilia, quibus Moniales tepidæ, & indevotæ fervorem acquirant, & devotionem. Hæc erunt, ut suscipiant voluntarias penitentias, quotidianas aliquas mortificationes, vel in comedendo, vel in silentio servando, vel à collocutoriis abstinentio; ex quibus paulatim accendetur in earum cordibus amor, & fiducia erga Deum, & devotio erga SS. Eucharistiam, quam frequentantes ex obedientia ipsius Confessarii, fiorent sicut Palma; & tamquam Sponsæ dilectæ, die, ac nocte desiderabunt Angelorum pane saturari, juxta illud: *in Lethulo meo quæsi qui diligit Animam meam.* Cant. 3. 1. *Inveni illum, & non dimittam, & repleta amore divino, quæ prius tepidæ erant, frequenter exclamabunt: O quam suavis est Domine Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstraveris, Pano suavissimo de Cælo pressito, esurientes replens bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.*

Antiph. ad Magnif. in prim. Vesper. in fest. Corp. Christi.

Ultimò, ubi reperiretur aliqua Monialis ita contumax, ut hortari non posset rationibus, & exemplis ad frequentiam Sanctissime Communionis; eidem esset notificanda obligatio, quam ex præcepto tenet, vi professionis, ut fufius probatur infra in Decif. 49.

DECISIONIS VI.

Ad Februarii Quæstum primum.

ARGUMENTUM.

Traditur definitio Sacramenti EUCHARISTIÆ; circa quam tria referuntur. Unum Theologicè, an essentia hujus Sacramenti consistat in Corpore Christi? An in speciebus consecratis? An in his, & illo simul? Alterum Historicè quòd referuntur sexdecim errores, ex tot hæresiarum prodiiti contra hoc Venerabile Sacramentum, ab initio Ecclesiæ, usque ad præsens. Tertium Methodicè, quò exarantur argumenta concludente probantia, veram, & realem præsentiam Christi Domini in EUCHARISTIA.

SUMMARIUM.

- 1 Eucharistiæ Sacramenti definitio.
- 2 Essentia Sacramenti Eucharistiæ in quo consistat?
- 3 Opiniones tres circa essentiam Sacramenti Eucharistiæ.
- 4 Errores hereticales sexdecim circa SS. Eucharistiam.
- 5 Judas Iscariotes primus hereticus contra Eucharistiam.
- 6 Argumenta probantia veritatem SS. Eucharistiæ.

QUÆSTITUM PRIMUM.

Quid sit Sacramentum EUCHARISTIÆ.

RESPONSUM fuit, Sacramentum Eucharistiæ esse signum sensibile Corporis, & Sanguinis Christi, veraciter contenti sub speciebus Panis, & Vini post consecrationem factam à Sacerdote, sub certis verbis, cum debita intentione prolatis, ex institutione divini significantibus Corpus Christi sub eis realiter contineri. Quæ quidem definitio est Scoti in 4. dist. 8. q. 1. sub A. quam referunt Mairius ibid. disp. 3. q. 1. num. 1. & Emin. Card. de Laurea in 4. lib. sent. tom. 1. disp. 17. num. 6.

Circa quam definitionem tria reperi notabilia ab eruditissimo Clero Patavino in responsionibus de prompta. Primum spectans ad Theologos speculativos. Secundum ad Ecclesiasticos Historicos. Tertium ad Missionarios Apostolicos.

Primum notabile spectans ad speculativos Theologos fuit, in quo verè, & propriè consistat essentia Sacramenti Eucharistiæ? Cum enim ad hoc Sacramentum perficiendum multa concurrant, scilicet Consecratio, Corpus, & Sanguis Christi, Species consecratæ, & Ufus, sive sumptio Sacramenti; dispartant Theologi, in quibus ex istis omnibus essentia Sacramenti Eucharistiæ propriè, & intrinsecè consistat? Et quidem relicti opinionibus Novatorum, qui docuerunt consistere vel in sola Consecratione, vel in sola Sumptione ad tradita per Magistrum in Theolog. Moral. disp. 18. n. 4. Castrum de Heresib. verb. Eucharistia Heres. 11. & Emin. Bellarm. lib. 4. de Eucharistia. Tres sunt Opiniones Catholicorum circa præsentem quætionem, ut notat Less. in Opus. Postul. de Sacram. Euchar. q. 73. art. 1. n. 7. & Colleg. Sal.